



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. I.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

ab ea viuendi frugalitate, sacerdotali modestia atque grauitate, q̄ prouinciali Concilio priori præcepta est, discedant; sed cum exemplum fidelibus afferant, vt monet Apostolus, in verbo, in conuersatione, in charitate, in fide, & castitate; tum nobis hoc negotium tractantibus, à Deo Opt. Max. omni animi pietate, sacrificij, precibus, ac ieiunijs auxiliam implorare studeant. In quarum rerum fidem has literas nostra nostrique Cancellarij manu signatas confici, sigilloq; nostro muniri & promulgari, Metropolitanæque nostræ, & Collegiatarum ecclesiarum, Aedumq; Archiepiscopaliū valuis publicè affigi iussimus. Quam affixionem habere eam vim volumus, ac si ipsi singulis quorum interest, illæ allatæ ac denunciata essent.

Dat. Mediolani in Aedibus Archiepiscopaliibus, Dei 23. mensis Maij. 1571.

DECRETA EDITA IN SY-
nodo Diœcesana secunda Me-
diolanensi.

Decretum. I.

DI VINA res est sacerdotij administratio: cui si tales præsciuntur, qui illud vitæ sanctitate, doctrina, fide, & prudentia sustinere possint; tanta, tamque salutaris populo fideli vtilitas existere solet, vt omni pietatis studio, totoq; animo, & mente supplici id sit, à Deo Opt. Max. precandum. quamobrem vt ieiunijs ex sancti spiritus doctrina in Ecclesia Dei institutis per quatuor anni tempora, quibus ordinis sacramento initiantur qui in Dei cultum tradere se volunt, supplicationes etiam adiungantur; quibus, ac reliquis item pietatis officijs, id Dei ope atq; auxilio cōsequamur, vt optimos in Ecclesia habeamus ministros: illud nos parochis nostris omnibus & vrbanis & Diœcesanis iubemus, vt proximo dominico die ante statam illa quatuor ieiunij tempora, in sua quisq; parochiali Ecclesia supplicationes litaniasque vel intus habeat, vel ijs solenni ritu dicendis prosequente popu-

lo Ecclesia foris obeat: quò magis multiplicatis precibus, Sanctorumq; auxilio implorato, tum nos in eo sacre administrationis munere adiuti, ecclesiasticos ordines in illos conferamus, qui ad eam ordinum dignitatem potestatemq; rectè, & cum Ecclesiæ vtilitate gerendam aptiores erant; tum illi etiam ipsi quæ sacris primùm initiandi sunt, aut ad viteriores ordinis gradus progressuri, ita à reliquo populo segregati, virtutum quasi gradibus progredientes, piè atq; adeo sanctè in eo omnium longè maximo & præstantissimo sacerdotij ministerio deum se exerceant, quemadmodum [debet ministros mysteriorum Dei.]

Decretum. II.

VRBANVS Quartus, & Clemens Quintus Summi Pontifices, vnus literis editis, alter Concilio Viennensi, Indulgentias multas ijs concessit, qui & in celebritate Corporis Iesu Christi Domini, & singulis septem illis diebus proximè sequentibus ad Ecclesias conuenerint, diuinisq; officijs interfuerint.

Nos cum maximo opere cupiamus atque optemus, populum fidei curæque nostræ commissum summo illo Indulgentiarum beneficio piè ac sanctè frui posse; neque id ipsū facile illū assequi videamus, nisi de Corpore Domini matutinum officiū interdiū dicatur: ob eam causam decernimus ac statuimus, in omnibus & singulis Ecclesijs tum vrbanis tam diœcesanis, quæ collegiatae Ecclesiæ sunt, matutinum officiū, præter alias Canonicas horas, non solum festo ipso die Corporis Domini, verum etiam singulis deinceps septem diebus interdiū dici.

Vt autem multis incommodis occurratur, quæ ex eo facile existerent, si ita sero harum Canonicarum horarum officia præstarentur, vt sub nocte præstari oporteret: idcirco iubemus, his ipsis octo diebus Completorij officium Matutinumque deinceps ita dici; vt omne hoc officiū antè solis occasum planè absolutum sit.

In reliquis Ecclesijs, vbi ijs ipsis octo diebus Corporis Domini celebritati dicatis, Completoriū solum non Matutinū officiū dicitur; hæc ipsa Completorij hora, antequam sol occidat, itidem absoluat.

Horarum canonicarum officium in octaua corporis Domini interdiū dicendum.

Supplicatio-
nes ante sa-
crorum or-
dinum col-
lationem.

